

deformatio operum cadit sub prohibitione. Ergo formatio, quæ fit per modum charitatis, cadit sub præcepto.

5. Præterea. Per charitatem actus præceptorum ordinantur in finem debitum. Sed hoc cadit sub præcepto, ut patet per Apostolum I. Cor. x. 31. *Omnia in gloriam Dei facite.* Ergo & modus charitatis.

Sed contra. Nihil cadit sub præcepto nisi quod est in potestate nostra: unde Hieronymus (Pelagius in exposit. fidei cathol.) anathematizat eos qui dicunt Deum aliquid impossibile homini præcepisse. Sed habere charitatem non est in potestate nostra. Ergo modus charitatis non cadit sub præcepto.

Præterea. Quicumque omittit hoc quod est de substantia præcepti, peccat. Sed aliquis diligens Deum dilectione naturali, vel opera pietatis faciens charitate carens, hoc ipso non peccat. Ergo modus non cadit sub præcepto.

Præterea. Homo in statu innocentie, etiam si gratiam non habuit, habebat unde poterat stare: quod non esset, si modus esset sub præcepto: quia caderet, si sine modo præcepta servaret. Ergo modus non est in præcepto.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt quatuor opiniones.

Prima opinio est, quod modus cadit sub præcepto: quia tamen illud præceptum est affirmativum, non obligat ad semper, quamvis obliget semper: & sic homo non tenetur ex charitate implere mandata, nisi pro tempore illo quo charitatem habet; & sic non obligatur ad impossibile. Sed hoc dictum non videtur sufficiens: quia si modus est de substantia præcepti, simul currit obligatio ad actum, & ad modum. Contingit autem quod erit tempus honorandi parentes, quando etiam charitatem non habet: unde videtur quod tunc tenetur ex charitate implere.

Et ideo alii dicunt, quod æqualiter currit obligatio præcepti, & modi, ut scilicet quocumque tenetur homo implere præceptum, tenetur implere illud ex charitate. Nec propter hoc Deus aliquid impossibile præcipit: quia quamvis homo per se charitatem habere non possit, tamen potest facere aliquid unde ipsam a Deo accipiat: quia secundum Philosophum in III. Ethic. cap. v. vel vii. quæ per amicos facimus, aliquo modo possibilia sunt. Sed hoc non potest stare: quia aliquis in peccato mortali existens, in quolibet actu de genere bonorum, quo præceptum implet quoad substantiam operis, peccaret peccato omissionis, in quantum omitteret modum, quod falsum est.

Et ideo alii dicunt, quod modus nullo modo cadit sub præcepto, & quod homo sine charitate præceptum legis implet. Sed hoc videtur vicinum Pelagianæ hæresi, quæ ponebat omnia præcepta sine gratia posse impleri.

Ideo alii mediam viam tenent, & dicunt, quod modus quodammodo in præcepto cadit, & quodammodo non. Dicimur enim ad mandata teneri dupliciter. Uno modo ita quod nisi impleamus hoc ad quod tenemur, sumus omissionis, vel transgressionis rei, & secundum hoc tenemur solum ad substantiam mandati, non ad modum. Alio modo ita quod si non impleamus id ad quod tenemur, non percipi-

(1) Al. septem.

mus mandati fructum; & sic tenemur ad substantiam operis, & ad modum, sine quo quantumcumque homo substantiam operis exequatur, ad vitam non perveniet. Et hæc opinio videtur rationabilior. Constat enim quod præceptum potest dupliciter considerari. Uno modo in quantum imponitur secundum necessitatem quamdam implendi; & sic nihil debet imponi alicui nisi quod statim est in ipso ut impleat; quod si non implet, punitur: quia sic lex habet vim coactivam, secundum Philosophum in X. Ethic. cap. x. vel xiv. Alio modo quantum ad intentionem legislatoris, qui per legis præcepta intendit ad virtutem perducere, ut dicitur in II. Ethic. cap. i. & sic quantum ad intentionem legislatoris modus virtutis cadit sub præcepto, non quantum ad obligationem legis.

Ad primum ergo dicendum, quod præcepta quodammodo connectuntur in charitate sicut in fine: quia per ipsam fructum mandati observati quis percipit.

Ad secundum dicendum, quod illo præcepto præcipitur actus charitatis non qui sit a charitate, sed qui est similis actui charitatis, sicut est actus naturalis dilectionis. Vel si præcipitur actus charitatis, præceptum illud magis est ad ostendendum quo tenere debeamus, quam ad obligandum, sicut supra dist. xxvii. dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit quantum ad intentionem legislatoris, magis quam quantum ad obligationem legis.

Ad quartum dicendum, quod facere actum deformem, & abstinere ab ipso, est in potestate nostra, non autem facere actum formatum: & ideo non est similis ratio.

Ad quintum dicendum, quod modus charitatis plus importat quam relationem operis in finem debitum: importat enim quod actus ex habitu charitatis procedat, quia multi carentes, actus suos in Deum referunt.

EXPOSITIO TEXTUS.

UBI charitas est, quid est quod possit deesse? Ergo omnes alie virtutes superflue. Et dicendum, quod hoc dicitur propter necessariam connexionem aliarum virtutum, quarum ipsa quodammodo est causa.

Sequitur ut ejus fortitudo minus sit prudens. Hoc dicitur secundum quod ab una virtute aliquid in aliam redundat, ut dictum est.

Quia vero non justificationis gratia, quam facit charitas, instituta sunt, sed in figura futuri, & in onus imposita, ideo clarescente veritate, cessaverunt velut umbra. De hoc dicendum in i. dist. IV. Libri.

Sicut in sermone Domini (1) octo virtutes præmittuntur, ad quas cetera referuntur. Loquitur de beatitudinibus, quæ virtutes dicuntur, in quantum sunt actus virtutum.

Quia per charitatem implentur. Videtur quod dicat duo contraria, scilicet quod charitas sit principium, & finis mandatorum. Et dicendum, quod hoc non est inconveniens: quia sicut in naturalibus forma, & finis incidunt in idem, ita & in moralibus. Habitus enim, qui est principium actus, ut imperans actum, est etiam quodammodo finis, in quantum ad finem proprium utitur actu imperato.

Totam magnitudinem, & amplitudinem divinarum eloquiorum possidet charitas. Secundum hoc videtur quod prolixitas sacræ Scripturæ sit superflua. Et

dicendum, quod continentur omnia divina eloquia in præcepto charitatis sicut in radice; sed oportuit per ramos distingui.

DISTINCTIO XXXVII.

De decem præceptis, quomodo contineantur in duobus mandatis.

SED jam distributio decalogi, quæ in duobus mandatis continetur, consideranda est. Habet enim decalogus decem præcepta, quæ sunt decachordum psalterium, quæ sic sunt distributa, ut tria quæ sunt in prima tabula, pertineant ad Deum, scilicet ad cognitionem, & dilectionem Trinitatis; septem quæ sunt in secunda tabula, ad dilectionem proximi.

De primo præcepto.

Primum in prima tabula est Exod. xx. 3. „Non habebis deos alienos, non facies tibi sculptrile, neque omnem similitudinem &c.“ Hæc Origenes (a) dicit duo esse mandata, sed Augustinus unum. Hoc ipsum enim quod dixerat: „Non habebis deos alienos,“ perfectius explicat cum prohibet coli figmenta, scilicet idolum, vel similitudinem alicujus rei: quæ duo Origenes hom. viii. super Exodum, ita dicit distare, ut idolum sit quod nihil habet simile sui; similitudo vero quæ habet speciem alicujus rei. Verbi gratia, si quis in auro, vel ligno, vel alia re faciat serpentis speciem, vel avis, vel alicujus rei, & statuat ad adorandum, non idolum, sed similitudinem facit: qui vero facit speciem quam non videt oculus, sed animus sibi fingit, ut si quis humanis membris caput canis, vel arietis formet, vel in uno habitu hominis duas facies; non similitudinem, sed idolum facit, quia facit quod non habet aliquid simile sui. Ideo dicit Apostolus I. Corinth. vii. 4. quia „idolum nihil est in mundo.“ Non enim aliqua res rebus constantibus assumitur species; sed quod mens otiosa, & curiosa reperit. Similitudo vero est dum aliquid ex his quæ sunt vel in cælo, vel in terra, vel in aquis formatur. Augustinus vero ita exponit illud (b) super Joan. tract. i. Idolum nihil est in mundo: „Id est, inter creaturas mundi non est forma idoli. Materiam enim formavit Deus, sed stultitia hominum formam dedit. Quocumque facta sunt naturaliter, facta sunt per Verbum; sed forma hominis in idolo non est facta per Verbum; sicut peccatum non est factum per Verbum; sed est nihil, & nihil fiunt homines cum peccant.“ Sed quaeritur, quomodo hic dicatur forma idoli non esse facta per Verbum, cum alibi legatur: „Omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium facta est per Verbum.“ Hoc autem a diversis varie solvitur. Quidam enim dicunt, omnem formam, & quidquid est, a Deo esse, in quantum est: & formam idoli in quantum est, vel in quantum est forma, a Deo esse; sed non in quantum est idoli, id est posita ad adorandum: in hoc enim non est creatura, sed perversio naturæ: sicut illud quod peccatum est, in quantum peccatum est, nihil est; & homines cum peccant, nihil fiunt, quia ab illo qui vere est, separantur. Unde Hieronymus super Ezech. cap. xxvi. „Quod ex Deo non est, qui solus vere est, non esse dicitur. Ideoque peccatum quod nos a vero esse abducit, nil esse, vel non esse dicitur.“ Alii vero dicunt, omnem formam, scilicet quæ naturaliter est, & omne quod naturaliter est, esse a Deo. Sed forma idoli non est naturaliter, quia naturæ justitiæ non servit. Id enim naturaliter esse dicitur quod simplici naturæ justitiæ, quæ Deus est, militat, non resultat, (1) & naturam creatam non vitiat.

De secundo præcepto.

Secundum præceptum est: „Non assumes nomen Dei tui in vanum:“ quod est dicere secundum litteram, non jurabis pro nihilo nomen Dei. Allegorice vero præcipitur, ut non putes creaturam esse Christum Dei Filium (quia „omnis creatura vanitati subjecta est:“ Rom. vii. 20.) sed æqualem Patri.

De tertio præcepto.

Tertium vero est: „Memento ut diem sabbati sanctifices:“ ubi secundum litteram præcipitur sabbati observantia; allegorice vero, ut requiem hic a vitiis, & in futuro in Dei contemplatione expectes ex Spiritu Sancto, id est ex charitate, & dono Dei: non quod Spiritus Sanctus sine Patre, & Filio hoc operetur. Accepit utique Ecclesia donum hoc, ut in Spiritu Sancto fiat remissio peccatorum: quam remissionem cum Trinitas faciat, proprie tamen ad Spiritum Sanctum dicitur pertinere: quia ipse est spiritus adoptionis filiorum, ipse est Patris, & Filii amor, & connexio, vel communitas. Ideoque justificatio nostra, & requies ei attribuitur sapius. Hæc sunt tria mandata primæ tabulæ ad Deum pertinentia: & primum quidem, quod est de uno Deo colendo, pertinet ad Patrem, in quo est unitas, vel auctoritas secundum ad Filium, in quo est æqualitas; tertium ad Spiritum Sanctum, in quo est utriusque communitas.

(1) Nicolai: vel non resistit.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Origenes nimirum hom. viii. in Exodum; Augustinus in Lib. de decem chordis cap. vi. & Lib. Qq. super Exod. quæst. vii. (b) In Glossa tantum nullo nomine indicato, & in Commentariis qui Anselmi nomine prenotatur occurrit quoad priorem appendicem; sed posterior tract. i. in Joan. habetur ex quo etiam desumptum est quod inferius indicatur velut alibi dictum.

